COLLECTIONES

THEOLOGICARVM

QVARVNDAM CONCLVSIONVM,
ex diversis Authorum sententiis,
perquam breves sparsim excerptæ.

Opera, & industria *Thomæ Chounei*, de Alfristonio in Comitatu Sussexiæ Armigeri.

Editio secunda Auctior & Emendatior.

DEVT. 29.

Quæ occulta sunt, penes Dominum Deum nostrum, quæ revelata nobis & filiis nostris.

LONDINI.

Impensis HENRICI SEILE,
ad signum capitis tygridis in Cœmeterio D. PAVLI. 1636.

R

Reverendiſſimo,& Honoratiſſimo Præſuli GVILIELMO Domino Archiepiſcopo Cantuarienſi, Primati totius Angliæ, & Metropolitano, Cancellario Academiæ Oxonienſis, Sereniſſimæq; Regiæ Majeſtati a ſacris Conciliis.

VEreor Honoratiſſime, & Reverendiſſime Præſul, ne temerarium nimis inceptum videatur, me, hominem laicum, Amplitudini tuæ planè ignotum, minutula hæc, &

leviuscula, tamque venerandi Præsulis oculis prorsus indigna offerre: Cum tamen istiusmodi sunt, utpotè Collectiones, quæ ne laicum quidem dedeceãt, & talia, quæ, ex animo religiosissimi & prudentissimi Regis, omissâ curiosâ investigatione, promissa in Scripturis proponunt generalia: nec videantur sensum articulorum Ecclesiæ Anglicanæ in literali & grammaticali, nedum in affixo verborum sensu transgredi: nec sensu differre ab antiquis, & modernis, melioris notæ, Scriptoribus: mihi in spe est

eſt te non minus mitem, quàm prudentem rerum æſtimatorem, qualiacunque ſunt, in partem faciliorem accepturum: nec teſtimonium, erga te reverentiæ & obſervantiæ dedignaturum, quantumvis exiguum, ſiquidem ab intimo ejus affectu procedens, qui tibi optimè (ſi quis unquam) de Eccleſiâ merito fauſta omnia precatur.

Amplitudini tuæ humillimo obſequio devotiſſimus.

THO: CHOVNEVS.

LECTORI.

QVæ tibi, in secundâ istâ Editione, offeruntur, Amice Lector, eædem sunt Collectiones, quæ prius; sunt & quædam de novo additæ; in utrisque, nostræ fuit industriæ, quid Ecclesia, & quid antiqui, graves, & eruditi Theologi senserunt, proponere, non abortivos propriæ imaginationis fœtus tibi obtrudere; Quod Laicus sim, nec mihi cedat in criminationem; discendi quidem potiùs, quam docendi gratiâ inventa hæc, & scripta sunt, ex quibus ulteriòris, & maturiòris inquisitionis ansam arripias; quòd si aliquid profectui tuo conferant, mecum Deo Optimo Maximo gratias age, si minùs, votum certè & Benevolentiam habes

Tui studiosi,

T. C.

Collectiones de aliquibus Theologiæ partibus.

1 DE Deo.

2 De Creatione.

3 De Præscientia.

4 De Providentia.

5 De Redemptione.

6 De Electione & Reprobatione.

7 De Verbo Dei, quod diversitas opinionum in Scripturis exponendis periculosa sit Christianismo.

8 Quænam sit manifestatio veritatis Scrip-

turarum quæ ex privata opinione oritur.

9 Quod veritas Scripturarum in sensu verborum, potiùs quàm in verbis consistat.

10 Qualis sit certitudo de sensu Scripturarum quæ ex traditione oritur.

11 De visibilitate Ecclesiæ.

12 De Vnitate Ecclesiæ.

13 De Episcopatu.

14 Qualis sit gubernatio Ecclesiæ ex Episcopatu.

15 An Apostolis æquè ac Petro successum fuit in Episcopatu.

16 Qualis

16 *Qualis ſit Romana Eccleſia.*

17 *Qualis ſit Epiſcopatus in Anglia.*

18 *Qualis ſit authoritas Regum & Principum in Eccleſiam.*

19 *Deum legis naturæ authorem eſſe.*

20 *Amiſſum in Adamo, in Chriſto quomodo reſtitutum.*

21 *Natura, ſi non ex Deo adjuta, ſpiritualia non intelligit.*

22 *Deus prius dat fidem, ſpem, charitatem, &c. quam in actu conſummato juſtificat.*

23 *Ex quibus dicatur*

fidem ſubſtantiam eſſe rerum ſperandarum, &c.

24 Quænam ſit fides de qua Apoſtolus II. ad Hebr.

25 Omnes divinas veritates eſſe æquè credendas.

26 De effluentia conſequentiarum fidei ex fide.

27 De connaturalitate fidei, ad ſpem firmam ſive fiduciam.

28 De connaturalitate fidei & ſpei ad charitatem.

29 De connaturalitate fidei, &c. & charitatis ad adhæſionem, obediendi

&

& complacendi desiderium, &c.

30 *De connaturalitate fidei, &c. & desiderii complacendi ad applicationem.*

31 *De connaturalitate fidei &c. & applicationis ad sanctificationem.*

32 *De connaturalitate fidei, &c. & sanctificationis ad justificationem.*

33 *De connaturalitate fidei, &c. & justificationis ad salvationem.*

34 *Efficaces Dei misericordias non recte dici leves suasiones.*

35 *Quænam sit salutis nostræ certitudo.*

36 *De*

36 *De conſcientia quid ſit &c.*

37 *Quænam ſit ſcientia quæ Chriſtianorum conſcientias tranquillet & terminet.*

COLLECTIONES *Theologicæ.*

COLLECT. I.

De Deo.

DEVM esse trinum, & unum, spiritum maximè excellentem, invisibilem, infinitum, omnipotentem, esse mundi creatorem, uno eodemque

demque intuitu omnia præsentia, & futura, videre, & discernere, providentia disponere, & gubernare omnia, esse mundi Redemptorem, justum, & misericordem esse, non aliqui digni, suo nomine, Christiani in dubium vocarunt : nec de attributis maximè Deo propriis, sed de modo excellentiæ & existentiæ motas aliquando audivimus controversias : In quarum inquisitione, supponimus rectè poni, in Deo non aliquid esse, quod extra

tra ipſum quæſiveris, nec de illo prius, vel poſterius dici poſſe. Attamen (cum res conjunctæ & intermixtæ in confuſo ſunt, & abſque partitione ab hominibus vix intelligantur) ut ea, quæ ad divinam ſpectant naturam, rectius, & ſine confuſione concipiantur, neceſſe eſt actiones à Deo emanantes, unam ante alteram, ſecundum gradum ordinis, quoad nos, conſiderari: Et cum homines vix intelligant quò eveniat præ-

præscientiam, redemptionem, providentiam, electionem, sive dispositionem circa res, in intellectu, præcedere res ipsas, ideo de Creatione, virtute cujus res sunt, & fiunt, prima erit nostra inquisitio.

Col. II.

De Creatione.

CVm tanta sit in Deo gloriæ, & bonitatis excellẽtia, quæ captum humanum, & apprehensionem planè tran-

transcendit omnem: certæ tamen manifestationes emanare intelliguntur, à seipso expressæ, & revelatæ, quæ veritatis quasdam quasi scintillas excutiunt, & accendunt: nec in ullo prius, vel magis elucere istam gloriam arbitramur, quam in illo, per verbum oris ipsius, perfecto creationis opere: in quo omnia adeo veræ admirationis plena, ut nihil imperfectum, aut cui ipsius non rectè quadret elogium, bona fuisse omnia: Ex quo

quo fit, ut credamus eos prorsùs insanire, qui maximè misericordem, & justum Deum, in primariâ intentione hujusce operis, aliquid statuisse contendunt, quod in exitialem, & miserrimam destructionem operis sui cederet. Supponimus lapsurum Adamum creasse, non præordinasse, vasa iræ, à seipsis, ad destructionem præparata, feciſſe, non ad destructionem præparasse, ad diem mali creasse impium, non ut, ex antecedaneo in creatione pro-

propoſito, ex vi quaſi creationis impius eſſet, quamvis, ex ſe, ſua perditio ad manifeſtationem gloriæ divinæ acceſſura eſſet: feciſſe hominem juſtum, hominem quæſiſſe inventiones: Porro credimus ſtatuiſſe Deum, cuilibet creato, operationem, ſibi, connaturalem, nec ſtoicam aliquam rebus indidiſſe neceſſitatem.

COLL.

Coll. III.

De Præscientia.

SVpponimus Deum illa sua opera, de quibus elogium daturus esset, quod fuerint bona, vidisse, considerasse, res scilicet omnes, secundum illam agendi connaturalitatem, quam illis inditurus esset, in secula quodammodò progressuras, nec aliquid, in corrupta massa, ipsum latere potuisse, quod separatim, & distinctim,

im, divino illius oculo non apparuit luculentèr : Supponimus Adamum, malè, & miserè, libero ſuo abuſum arbitrio, maculas, ejuſdem, poſteritati ſuæ derivaſſe : labentem, & omnes, ex illo, oriundos labentes cum illo, in univerſis, & ſingulis ſuis lapſibus, ſimùl prævidiſſe Deum : non autem ſupponimus hanc præſciẽtiam rebus impoſuiſſe neceſſitatem, ut evenirent, neque tamèn eſt, ut illum operis pœniteat, qui omnia, in gloriæ ſuæ re-

redundantiam, eventura prævidit.

Coll. IV.

De Providentia.

SVpponimus Deum omnipotentẽ, & maximè sapientem, creando tãtum, potuisse, instarque horologii sempiterni, ordinem adeò exquisitè textum, rebus omnibus, imposuisse, ut in posterum minimè novâ providentiâ opus foret: attamen placuisse, non

non quaſi actum agere, ſed naturales, & liberos quoſdam agendi modos creaturis, hiſce inferioribus, aſſignaſſe: in quibus exercituros, & oſtenſurus eſſet & potentiæ ſuæ magnitudinem, & ſapientiæ excellẽtiam: quam ſuam providentiam ſi Deus rebus ſubtraheret; ſicut de nihilo factæ ſunt, ſic planè in nihilum dilapſuræ eſſent.

Coll.

Col. V.

De Redemptione.

SVpponimus Deum misericordiæ prævidisse miseros, miserertum fuisse, remedium statuisse, unicum ejus Filium IESVM CHRISTVM, pro peccatis mundi passurum, modum convenientem applicandi istius remedii, ad manifestationem Gloriæ, Iustitiæ & misericordiæ suæ ordinasse, quos novit ex gratia, applicatu-

ros

ros, ſanaſſe, ſalvaſſe, quos novit neglecturos, derelinuiſſe, reprobaſſe.

Coll. VI.

De Electione & Reprobatione ſive derelictione.

DE mediis, modis, cauſis, & rationibus electionis, & reprobationis diù fuit in Eccleſia tortuoſa, & vexata nimis controverſia: in cujus tractatione quam audactèr,

& temerariò in abſcon-
ditum conſilium, in
vias domini imper-
ſcrutabiles irruerunt a-
liqui? quam intrepi-
dâ, & Giganteâ fidu-
ciâ aggreſſi ſunt alti-
tudinem, & profundi-
tatem illam, quibus,
ad admirationis exta-
ſim raptus Apoſtolus
expavit, divinumq; de-
cretum, in ſeipſis, ad
glorificationem limi-
tatum, quaſi palpando,
ſe attigiſſe ſomniarũt?
Quam ſiniſtrè aliqui,
peſſimi Chriſtiani, in
naturæ viribus cau-
ſam, rationemque, de-

cre-

decreti collocarunt ? Quam infeliciter alii, ex parum cautâ iſtiuſmodi conſideratione, in præſumptionis, & deſperationis ſcopulos impegerunt, operaque pietatis, dum de fatalitate decreti perperàm, & turpitèr Philoſophati ſunt, omnino neglexerunt ? Quam horribile & infandum eſt, quod & aliqui, ex iſtis parùm ſanè intellectis, Deum peccati authorem, ſi non in terminis ; at ex conſequenti videntur fateri? De infauſtis his con-

troverſiis abſit ut nos pro certo & definito ſtatuere aliquid audeamus : Cum tamen Deus revelaverit ſe, in Scripturis, per ſeriem ferè totam, ſe Deum miſericordiæ eſſe, in ſecula ſeculorum veracem, juſtum, mitem, longanimem, ad iracundiam tardum, ad miſericordiam promptum, cum conſtet ipſum dixiſſe, & per variarum invitationum, & exhortationum formas oſtendiſſe, ſe non velle peccatoris mortem, velle quidem ut omnes

omnes ſalvi ſorent: non videtur eſſe, cur arbitremur voluiſſe, ut crederent homines, ſe, vel eorum voluntates, vel ſuam ad antecedanei decreti inevitabilitatem obligaſſe: Sunt ſalvationis, & damnationis media, de quibus nos multiotès, & ſeriò vult eſſe admonitos, de illis liceat, pro ratione moduli noſtri, & eruditiorum ſub venia dicere, me non videre rationem in contrarium, quare, cum quæ eſt ex Deo, per unam, eandemque acti-

onem bonitatis, a seipso, emanantem, recta ordinatio fidei in Christum, resipiscentiæ, obedientiæ, & perseverantiæ sit causa salvationis, perversa, quæ est ex hominibus, damnationis, non, in eadem unitatis ratione, electionis, & reprobationis etiam causæ agnoscantur: Quid? quod pro axiomate ponatur ultimum in executione esse primum in intentione? Vltimum hoc novimus esse gloriam ipsius Dei, hanc autem novimus elucere in mediis

diis maximè: Potuiſſe Deum, ſine miraculis, ex Ægypto vindicaſſe Iſraelitas, quis ambigat? minus fuiſſe gloriæ, quis, niſi cœcutiat, non videt? Potuiſſe mundum ſibi reconciliaſſe, ſine morte unigeniti ſui filii, ſine conceptione beatæ virginis, &c. omnes agnoſcunt Chriſtiani, has vias redemptionis fuiſſe maximè glorioſas, non dubitarunt aliqui: Potuiſſe, ex abſolutâ ſui potentiâ ſine mediis, ſalvaſſe, aut damnaſſe homines, quis

pro confeſſo non donat? Feciſſe per media, quis ad perfectiorem illuſtrationem gloriæ, bonitatis, juſtitiæ, & miſericordiæ ſuæ conducere, non videt? Advertant Chriſtiani, ſolũmodò gratioſæ cõſilium voluntatis ejus, bonitatem divinam (quam non niſi æternum terminet, & quæ eſt ipſe Deus) actionum à Deo emanantium, in cauſa, in ratione eſſe: Ex quo fiet, ut in contemplatione de mediis, ad ſobrietatem ſapiant,

piant, in curioſa, abſtruſiorum, inveſtigatione, ne ultra modum inſaniant, timeant, & caveant.

Coll. VII.

De Verbo Dei, quod diverſitas opinionum, in ſcripturis exponendis, periculoſa ſit Chriſtianiſmo.

CVM non aliquid magis fatale, Chriſtianiſmo compertum ſit, quam diverſitas opinionum, in Scriptu-

ris exponendis, qua usque ad hoc tempus laboravit Ecclesia, & adhuc laborat: ut communio Christiana tandem, aliquandò sarta, tecta conservetur: Optandùm quidem esset, modum explicandæ, & declarandæ veritatis magis certum, & definitum statui potuisse: hoc impetrari non posse arbitramur, si fas sit privatos homines, magistralem Scripturarum sensum aliis imponere, cum ex hoc eveniat, ut quicquid unus, idemque imperitus

tus ſibi forſan arroget, ex æquo jure, ad unum, omnes ſibi arrogent: Quanta hîc occaſio cõfuſionis quis non vidit?

COLL. VIII.

Quænam manifeſtatio veritatis Scripturarum ſit, quæ ex privata opinione oritur.

NON defuerunt olim hæretici, qui aliquid, ſibi, quaſi juris in Scripturas vindicantes, vim, & injuriam

am verbis inferentes, ex illis opiniones maximè erroneas, infausto quodam omine, seminarunt, hoc accidisse putamus non ex eo tãtum, quod in literarum cortice hæserint, vel quod latentem, in verbis, sensum minimè eruerint, sed quod privatum, ingenii sui, sensum publico, Ecclesiæ, judicio præferre maluerint: Quid verò illiterati, rudes, inscii per spiritum suum, arcana scripturarum revelantem, intelligi volunt, neutiquam sano modo

modo explicari posse credimus: Cum evidens sit spiritum, per evidẽtiam intellectualem, prius habitam, dirigere, & non alio modo proprium, & genuinum scripturarum sensum assequi, quam ex mediis ordinariis, memoriæ scilicet, scientiæ, eruditionis, & prudentiæ Dei gratia adjutis: Aliquid illis, per modum revelationis, accidisse, non adeo perfrictæ frontis sunt, ut audeant affirmare: Quid quod inventæ veritatis amores, & delicias,

licias, neſciunt quas, ex ſpiritu intus accendi in ipſis perſentiſcant? non fallere poſſunt hæc? non, ex naturæ quadam vi, conceptibus homines indulgẽt ſuis? non ſuis maximè hæretici? Quid quod conceptus hos non ſuos, ſed quos ſuggerit ſpiritus, eſſe clamitent? non illi, rectè, ad Anticyras, amandãdi, qui, quæ ipſi minimè intelligunt, credenda aliis obtrudunt?

Coll. IX.

Quod veritas Scripturarum in ſenſu verborum, potius quàm in verbis conſiſtat.

Videtur divina ſcripturarum veritas, non in verbis, ſed in ſenſu verborum conſiſtere, cum nulla verſio Scripturarum, ex nativo fonte, in vernacula gentium idiomata, ullâ aliâ ratione, videatur authentica, quã quod, omiſſis verbis, ſenſus retineatur: Nec vere-

vereamur dicere verba, phraſes, & ſententias ex quibuſlibet, undequaq; authoribus collectas, ad veram, & genuinam explicationem ſenſus Scripturarum, Chriſtianis ſubſervire poſſe: Quid quod concionatores aliqui, quā probè, ipſi viderint, ſe, in roſtris, privilegiarios, tametſi non Papali modo, privilegiarios tamen ſe profitentur, ut verba ſcilicet, quæ in concionibus ſuis, incogitanter ſatis effundunt, divina, non humana habenda

benda ſint: Si non volunt idololatriam, ſanctimoniâ, adumbratam de novo aſtruere, dignitatem, & incommunicabilem majeſtatem divini textus ſibi arrogare: quid aliud videantur intendere, quàm quæ proferunt verba, in quadam inferiore ſenſus vicinitate, cum Scripturis æquiparari? hoc illis videtur maximè intereſſe, ſcilicet ne lateat vitium proximitate boni.

Coll.

Coll. X.

Qualis sit certitudo, quæ de sensu Scripturarum, ex traditione oritur.

QVamvis constet, non sine injuriâ, traditiones omnes verbo Dei scripto æquipollere: sensum tamen Scripturarum, ex patribus & doctoribus Ecclesiæ, deductum, & traditum, & in Ecclesia conservatum, & approbatum, quid ni pro tali traditione agnoscamus, in cujus veritate

ritate acquieſcendum, & à qua minimè diſcedendum ſit.

COLL. XI.

De Viſibilitate Eccleſiæ.

SI quis inviſibiles, & internas rerum formas animadvertens, virilitèr contenderet res ipſas eſſe planè inviſibiles: annō delirio planè laborare cenſeretur? Quidnam aliud ſibi moliuntur, qui inviſibilitatem Eccleſiæ, ex inviſibilitate fidei, &

& ſanctitatis conantur probare: homines ſunt, qui, in Eccleſia, curam gerunt paſtoralem: obedire tenentur homines: homines hominibus, in mutuis charitatis officiis, ſubſervire jubentur: Sacramenta in hominum uſum celebrantur: viſibilia omnia: quæ ſi non forent, cæca foret obedientia, cæca charitas, &c. Qui non audit Eccleſiam, ſicut Ethnicus, & Publicanus tibi erit: quomodo audiet, quam nec nôrit quidem? Vt confuſio,

fusio, quæ ex istâ incertitudine oritur, evitetur: non arbitramur omninò sufficere, ut, ex opinione charitatis, æstimetur Christi sponsa: sed ut ex non minùs certo, & evidenti, quàm prudenti judicio cognoscatur. In confesso est Ecclesiam, semper, in Iudæorum, in Christi, in Apostolorum, & in priscis queiscunque temporibus visibilem extitisse: Quid ni in cæteris? cum præsentiam suam, in finem seculorum, Apostolis dura-

duraturam promisit Christus: Et constet dedisse Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Doctores, Pastores, visibiles omnes, pro visibili scilicet opere ministerii, donec occurrant omnes in virum perfectum, ad mensuram plenitudinis Christi, *Ephes.* 4. 11, 12.

COLL. XII.

De Vnitate Ecclesiæ.

AD unitatem Ecclesiæ non tantum requiritur, ut inter Christianos una, eademque fides, eædemque leges sint: sed ut mente unâ, & concordiâ unâ, in mutuam membrorum conservationem coalescant. Ecclesiam, per orbem dispersam, unum esse corpus, unum, & unicum illius mysticum caput Christum agnosci-

noſcimus, membra ejus ſtatuiſſe paſtores, & oves, dediſſe leges, Apoſtolos, quaſi proreges, vicarios ſuos ſubordinaſſe, præſentiam ſuam, in finem ſeculorum, promiſiſſe, in ſacramento, per modum viſibilis repræſentationis, ſe exhibuiſſe, communionem, ad invicem, inter mẽbra præcepiſſe; ut de cõmuni conſilio, communis omnium pax, & tranquillitas ſtabilita eſſet.

Coll.

Coll. XIII.

De Episcopatu.

CVM legimus, ab Apostolorum temporibus, perpetuam, in Ecclesia Christi, extitisse Episcoporum successionem, Patres, Doctores, Martyres, alioſque Christianos, (de quorum prudentiâ, & sanctitate minimè dubitandum sit) se Episcopali authoritati, cum omni debita reverentia, & obſervantia ſubmiſiſſe: Cum ne

audivimus quidem, ante hæc novitia tempora, disciplinam aliam ullibi extitisse, (nisi inter fœdatos, & turpissimos hæreticos) quæ Episcopatu non claruerit: Quid ni eam, à Christo ipso, in Apostolis suis institutam, & perpetuâ serie, ab ipsorum temporibus, adeò sanctè deductam censeamus: ut non credentes, obediẽtiam abjicere nefas sit.

COLL.

COLL. XIV.

Qualis ſit gubernatio Eccleſiæ ex Epiſcopatu.

SUPPONIMUS terrarum orbem, vaſtum, & immenſum, cujus forſan pars non minima vix adhuc ſit cognita, inter Imperatores, Reges, Principes, &c. in partes ſuas diſtribui, Evangelium, ſecundum promiſſa, in ſuo tempore, prædicandum eſſe, in plagis habitabilibus mundi

omnibus, Apoſtolos (forſan ſecundū quendam ordinem præexcellentiæ) in principatus, terrarum orbis, fuiſſe miſſos, ad Romam ſcilicet Petrum: Adjutoreſque, illi adjunctos Epiſcopos, in diœceſibus variis, qui & adjutores ſuos habuerint (ſecundum diverſorum locorum exigentiam) hoſque, ad primam inſtitutionis normam, ritè elegiſſe, ordinaſſe, miſiſſe, nec probabile ſit, quin eædem gubernandi rationes, & formæ quas pri-

primævi patres in ſuis exercuerunt, in aliis aliorum diocæſibus, ex illorum inſtituto, manent exercendæ.

COLL. XV.

An Apoſtolis æque ac Petro ſucceſſum fuit in Epiſcopatu.

CVM pro conceſſo ſit omnes Apoſtolos, immediatè à Chriſto, accepiſſe juriſdictionem in totam, totius orbis, Eccleſiam, fuiſſe, in dignitate, pa-

res, quibus scilicet promissum fuit, sessuros, cum illo, in regno gloriæ ipsius, judicantes tribus Israelis, *Mat.* 19. Cum non aliquid, ad modum privilegii, speciatim Petro, quod non, generatim, & cæteris Apostolis concessum esse credamus: (Dispertitæ linguæ, tanquam ignis, sedebant super illorum unumquemque, *Act.* 2.) Nec exercuisse Petrum, per modum imperii, jurisdictionem in cæteros ex ulla probabili conjectura colligen-

ligendum ſit. Cur magis ſucceſſum fuiſſe, in ſuo Epiſcopatu, Petro, quàm, in ſuis, cæteris Apoſtolis, opinemur? Quid ni, ſeparatos, & independentes, æqualitatem juriſdictionis, omnes, habuiſſe arbitremur? Non ſufficiat totus terrarum orbis, in quo diverſas, juriſdictionis, poteſtates exerceant? Non ſatis ſit regna, provincias ſatis amplas, unicuique aſſignari? Sufficiat toti orbi unus? Quid quod Moyſes, in terræ quo-

dam manipulo, ad gubernandum, uni parvo populo Iſraelitico vix ſufficiat ? Detur hæc univerſalis Monarchia Per mare, per terras, per tot diſcrimina rerum, ex unius arbitrio, ordinanda : Infinita incommoda, quæ vix cogitari, nedum per delegationem ſuppleri poſſunt, ex tanta, regionum, longinquitate evenire neceſſe eſt.

Coll. XVI.

Quænam sit Romana Ecclesia.

CVm constet Romanam Ecclesiam, in primævis temporibus, velut, inter ignes, Lunã minores, cæteris Ecclesiis præluxisse, cæterisque mæchantibus, castam, & pudicam veritatis conservatricem extitisse: Nec in pessimis, usque eò, degenerasse censemus, ut in primariis, & fundamentalibus, Religio-

nis, capitibus aberraſſe videatur: Quid ni, quamvis, in cæteris, vitiatam, & temeratam, Eccleſiæ tamen nomine honeſtandam cenſeamus? Morbidum caput ſit, ad periculum lethargiæ proveniens, non tamen à membris abſcindendũ, langueſcant membra, ſed non ideo reſecanda arbitremur: Et eo potiùs, quod in corpore Eccleſiæ myſtico, nonnullis membris putreſcentibus, & minimè amputatis (zizaniis non avulſis *Mat.* 19.) cætera,

cætera, ſine dubio, ſana & integra remaneant.

Coll. XVII.

Qualis ſit Epiſcopatus in Anglia.

NOn arbitramur eſſe, in orbe terrarum, Hierarchiam magis laudabilem, magiſque cum Monarchiæ faſtigio congruentem, aut primitivæ inſtitutioni magis conſentaneam, quam quæ, nobiſcum, in uſu eſt. Habemus

bemus continua ſucceſſione, ab Apoſtolis, in Apoſtolorum loco, per impoſitionem manuum Archiepiſcopũ unum, & alterum, ſub utroque Decanum & Capitulum (à præbendo auxilium Epiſcopo forſan Præbendarios dictos) Cancellarios, Archidiaconos (in Scripturis an appareant appellationes iſtiuſmodi quid intereſt? ſtolida de nominibus eſt concertatio, cum de re conſtet, adjutores omnes ſunt) Habent & alios, curarum

rum ſuarum, participes. Sunt & nobiſcum, inferioris tituli, Epiſcopi, qui nec coadjutoribus ſuis deſtituuntur: Sunt hi omnes, pro ratione muneris ſui, pariter, ſubordinati. Nec, cum nihil præcipitationi, nihil temeritati relictum ſit, deeſſe putamus aliquid, quod ad perfectiſſimam, gubernandi, decentiam conducere videatur. Quid quod zelotæ aliqui, ineptè ſatis, non ſine faſtu, contendant, gubernationem Epiſcopalem,

palem, esse nimis supercilioſam, in fratres, dominationem? Quid quod Pastores Parochiales, ex suffragio imperitæ plebis electos, & illos forsan laicos, in parochiis suis tenere Episcopatum dormitent? qui ipsi miselli homines, ad gubernandum indocti, & prorsus inepti, fanatico dictante spiritu, in optimates quoscunque viros, in ipsos reges impingunt: quantæ confusionum, hæreseôn, dispariumque opinionum segetes, ex

ista

ista, quam affectant, in gubernando paritate, pullulaturæ sunt, vix cogitatione comprehendi posse opinor.

Coll. XVIII.

Qualis sit authoritas Regum & Principum in Ecclesiam.

CVM vix sit regnum, Principatus, &c. in quibus non aliqui subditorum, ex gratia regum, &c. privilegia, exemptiones, & immunitates suas, quasi

palem, esse nimis superciliosam, in fratres, dominationem? Quid quod Pastores Parochiales, ex suffragio imperitæ plebis electos, & illos forsan laicos, in parochiis suis tenere Episcopatum dormitent? qui ipsi miselli homines, ad gubernandum indocti, & prorsus inepti, fanatico dictante spiritu, in optimates quoscunque viros, in ipsos reges impingunt: quantæ confusionum, hæreseôn, dispariumque opinionum segetes, ex ista

iſta, quam affectant, in gubernando paritate, pullulaturæ ſunt, vix cogitatione comprehendi poſſe opinor.

COLL. XVIII.

Qualis ſit authoritas Regum & Principum in Eccleſiam.

CVM vix ſit regnum, Principatus, &c. in quibus non aliqui ſubditorum, ex gratia regum, &c. privilegia, exemptiones, & immunitates ſuas, quaſi

quasi ad aliquantulam regalitatis participationem, jure quodam hæreditario possideant: Quid ni immunitates, & privilegia sua, longa antiquitate tradu-cta, retineat Ecclesia. Multis parasangis digniora, & principaliora, ipsius membra reges, & principes Christianos, in dominiis suis esse agnoscimus: Membra quidem, & filios Ecclesiæ se esse habitos rejecisse, contempsisse, non unquam audivimus. Obediunt, simulque regnant: Iu-

ra,

ra, quibus gubernari ſe permittunt, ſua ſunt, vitalitatem nativam ex præpoſitis Eccleſiæ, tanquam ex corde, recipiunt, vigorem autem, & vivacitatem activam ab ipſis, tanquam ex capitibus, derivant.

COLL.

Coll. XIX.

Deum legis naturæ authorem esse.

CVm Deus, æterna & divina sibi lex, author naturæ sit, legis etiam naturæ authorem esse agnoscimus: Dando scilicet creaturis convenientes, ad ordinationem sui, dispositiones: hominibus maximè, in quorum cordibus legem fuisse scriptam testatur Paulus 2. ad *Rom.* nec dubitandum est, manda-

mandata prius, quam in tabulis, digito Dei, ſcripta ſunt, homines, æquè, ad obſervantiam obligaſſe: Cum conſtet, ex vi illius legis, Abelem, & Patriarchas, Deo omnipotenti, obtuliſſe ſacrificia, multaque alia accepta pietatis opera præſtitiſſe: Cainum & alios, propter prævaricationem legis iſtius, Deo exoſos fuiſſe.

Coll.

Col. XX.

Amissum in Adamo, in Christo quomodo restitutum.

SVupponimus Adamum, in se, & in suis, felicem constitutum, conditionaliter tamen felicem, felicitatem, ex inobedientia, amisisse: Nec expectandum est, cum natura in Adamo maximè corrupta, & vitiata sit, ut, ex tam polluto fonte, limpidæ procedant aquæ: Ceci-

Cecidiſſe Adamum, in illoq; genus humanum omne: Chriſtum (dando uberiorem obediendi, & perſeverandi gratiam) Adamum, & cum illo omnes, ad media ſcilicet excellentioris beatitudinis, (quæ ad finem, rectè ordinata, conducant) reſtituiſſe credimus.

COLL.

Coll. XXI.

Natura ſi non, ex Deo, adjuta, ſpiritualia non intelligit.

CVM homines, in ſuis puris naturalibus, quæ Dei ſunt, minimè intelligant: nec quæ tendunt ad bonum ſpirituale, ut par eſt, conſiderare, nedum appetere videantur: Ne exiſtimemus legem, in membris, rebellantem, niſi ex adjutorio Dei excitantis, dirigentis, & aſſiſtentis,

tis, in aliquem ordinem, quoad ſpiritualia, reduci poſſe: Nec, in Ieſu Chriſto, denegaſſe ſe hominibus putemus Deum: Cum conſtet cœlos, & firmamenta gloriam ejus enarrare, & eſſe illa viſibilia, ex quibus vult ejus inviſibilia intelligi; conſcientiis ſcilicet hominum teſtificantibus, & cogitationibus ſeſe mutuò accuſantibus, ſive etiam excuſantibus: nec putemus quin, ad hæc, generalis concurſus gratiæ ſufficiat: Nec repug-

repugnare, pro bono & convenienti uſu ſpecialioris, in Chriſto, gratiæ, Deum humano generi in temporalibus ſuccurrere, & quoad ſpiritualia etiam promovere: Dando ſcilicet propter Chriſti ſanguinem, non propter pretium operum, ſpirituales ſuas divitias fidem, ſpem, charitatem, pœnitentiam non pœnitendam, &c.

Coll.

Cor. XXII.

Deus prius dat fidem, spem charitatem &c. quam in actu consummato justificat.

SVpponimus triplicem justificationis considerationem, 1. in actu inchoativo, 2. in actu progressivo, 3. in actu consūmato. Cum nostra consummata justificatio pendeat ex Dei complacentia, cui sine fide placere impossibile sit, cum fides absque suis consequen-

tiis mortua, nec omnino Deo accepta sit, necesse videtur non tantum fidem, sed consequentes fidei operationes, spem scilicet, charitatem, &c. præcedere in actu scilicet, ad minus desiderii, exercito, consummatam Iustificationem.

COLL.

COLL. XXIII.

Ex quibus dicatur fides ſubſtantia rerum ſperandarum, &c.

CVm Apoſtolus 11. ad *Heb.* non ex alio reſpectu videatur appellare fidem ſubſtantiam rerum ſperandarum, argumentum non apparentium, quã quod fundamentum, ſive baſis ſit, ex quibus, evidentèr, aſſurgunt omnia, quæ ad ſpem, & expectationem futuræ beatitu-

dinis adducant: Operæ pretium forſan ſit, ſi conſideremus quænam ſit iſta fides, quænam conſequentiæ illi connaturales, & quâ ratione dicantur effluere.

Coll. XXIV.

Quænam ſit fides de qua Apoſtolus.

SVpponimus fidem de qua dicit Apoſtolus ſubſtantiam eſſe rerum ſperandarum, &c. Iuſtificantem eſſe,

ſe, ex qua vivit juſtus, vitam ſcilicet, gratiæ, ſpiritualem, divinis veritatibus non tantum aſſentiendo quod veræ ſint, ſed quod fide, aſſenſuque ſuo maximè dignæ ſint: uſque eò, ut pro certo ſtatuat in Chriſto, per Chriſtum, & propter Chriſtum (in quo omnis habitat plenitudo) & non aliter, nec aliundè quærenda eſſe auxilia, neceſſaria omnia, quæ ad inchoationem, progreſſum, & perfectionem vitæ ſpiritualis conducant.

Coll. XXV.

Divinas veritates æquè credendas esse.

QVamvis veritates divinæ omnes non sunt æquè cognitu necessariæ, statuatur tamen eadem omnium certitudo, eademq; (si authoritatem spectes sive Scripturarum, sive Ecclesiæ) certitudinis evidentia, æquè credendas esse omnes arbitramur, scilicet non aliam credendi rationem, nedum plerophoriam

riam ad unam veritatem, istius generis, accedere, quam quæ, ex æquo jure, & ad cæteras etiam pertineat.

Coll. XXVI.

De effluentia consequentiarum fidei ex fide.

INchoativè per fidem justificat Deus, dat scilicet, propter Christum, cognitionem, ex cognitione fidem, ex fide spem, sive fiduciam, ex fiducia charitatem, ex charitate

ritate adhæſionem, obediendi & complacendi deſiderium, &c. ex iſto deſiderio meritorum Chriſti ſalubrium applicationem, ex iſta applicatione ſanctificationem, ſive obſervantiam mandatorum, ex iſtis omnibus, in actu ſcilicet conſummato juſtificationem, ex illâ ſalvationem: Quæ omnia, cum efficaciter, per canalem Dei gratiæ, ex fide, tanquam ex principio, ſive radice (per connaturalitatem omnium ad fidem, & ad ſe

ſe invicem) effluere videantur : Quæcunque ab aliquibus horum proveniunt, ad fidem, tanquam ad omnium originem, referenda ſunt : Et in hoc ſenſu arbitremur Apoſtolum 3. ad *Rom.* locutum eſſe, per fidem homines juſtificatum iri, ſcilicet per fidem elicituram, ex conſequentiis ſuis operationem, non per opera antecedanea, nedum ſubſequentia minimè ex fide elicita. Apoſtolum verò Iacobum ſtatuiſſe opinamur ad juſtifi-

cationem illorum, qui fuerint, per fidem, jam initiati, opera ex fide elicita, non fidem minimè opera elicientem requiri: Et hunc fuisse sensum Apostoli Pauli, exindè liquet, quod in subsequente versu testatur ex illis quæ dixerat non inanem reddi legem, quin potius stabilitum iri.

Coll.

Col. XXVII.

De connaturalitate fidei, ad ſpem firmam ſive fiduciam.

CVM corde credendum ſit pro peccatis mundi mortuum fuiſſe Chriſtum, ſanguinem ejus, fontem eſſe, in quo Iuda, & Ieruſalem laventur, humanas infirmitates ſanatum veniſſe, portare paratum eſſe, peccatoris mortem non velle, quaſſatam arundinem non fracturum, linum fumi-

fumigans non extinctum, excitare, adjuvare, invitare, pulsare, aperientibus cœlestes ipsius dapes largiturum, simulque cœnaturum se, promisisse, ad faciendum plus, quam vel loqui, vel cogitare possumus potentem esse, cum de natura spei sit, ut de mediis speretur, si de fine, credant Christiani spem ex fide connaturaliter eliciendam esse.

Coll.

COLL. XXVIII.

De connaturalitate Fidei & Spei ad Charitatem.

CVM corde credendum ſit Deum (in quo ſpes noſtra reponenda eſt) eſſe ſummè bonum, gloriæ, majeſtatis, juſtitiæ, & miſericordiæ plenum, omni affectu, & deſiderio dignum, præ illo ſordeſcere alia quæcunque, ipſum dediſſe Chriſtum, dilexiſſe nos priùs, res ab illo ſpe-

ſperandas, non tantum eſſe, quæ ſunt hujus vitæ, ſed cæleſtem etiam Ieruſalem, gaudia illa quæ non vidit oculus, nec audivit auris, nec in cor hominis unquam intrârũt. Cum hæc, & hujuſmodi, quæ in ſcripturis multa credant homines, & ſimùl ſperent, Deum propter ſeipſum, proximum propter Deum diligere, fidei & ſpei connaturale opus exiſtimemus.

COLL.

Col. XXIX.

De connaturalitate fidei ſpei & charitatis ad adhæſionem, & ad obediendi & complacendi deſiderium.

CVM ex naturâ ſit, & experientiâ cõpertum, eos, qui maximè amant, ex proximitate objecti maximè delectari, Adhæſit cor Sichemi Dinæ, *Geneſ.* 34. Cum etiam corde credendum ſit, præ omnibus diligendum eſſe Deum, Homines

mines propriis viribus deſtitutos, infinitis etiam periculis ex ſe, Satana, mundo immi nentibus obnoxios, vanum eſſe hominis adjutorium, ſalutem, quæaliundè quam cœlitùs expectatur, fruſtraneam eſſe, tantummodo Deum eſſe petram, turrim defenſionis, a quo abſcindi nihil queat, in præſentia cujus gaudii ſempiterni plenitudo, quid aliud ſequitur quam ut cum Iacob Deo, pro benedictione, adhæreamus, prius quam bene-

benedicat non dimittamus: Si vel occidat Deus, confidit Iob: Sub umbra alarum Dei David tutus ſperat, in domo Iehòvæ quietus manet: Non mors, non vita Paulum à charitate Dei in CHRISTO ſeparabit: Mortuo Iſaaco Abrahamus de ſemine ſecurus perſtat: Mœniis Ierichu obrutis, oblita familiæ, adhærendo, ſecura Rachab durat: Securos de promiſſis, arcanorumque Dei minimè curioſos, Patriarchas credidiſſe, ſpe-

ſperaſſe, dilexiſſe certum ſit, adhærere non minus connaturale quã diligere exiſtimandum eſt. Quique Deo amando adhærent, teſtimonijs ejus inhærent, guſtant, & vident bonum eſſe Iehovam, jugum Chriſti ſuave, onus leve, mandata puriſſimo auro deſiderabilia magis, melle ſuaviora, ex quâ dulciſſimâ experientiâ obediendi tandem, & complacendi deſiderium eliciunt: In Pſalmis quam frequens Propheta in piis hiſce, de man-

mandatis exultationibus? Quam totus in his, in Psalmo centesimo decimo nono, quasi exhinc in cœlum raptus? Quam in arduis pietatis operibus gaudentes Dei filii? quam præstò in oblatione Isaaci Abrahamus? In afflictionibus, cum Dei populo, quam contentus Moyses? Quam cupidus dissolvi Paulus, & esse cum Christo? quam aspirat ad conformitatem cum Servatore ejus, in afflictionibus, tribulationes istius seculi

culi non dignas gloriâ revelanda æſtimans? Quam lætantur Apoſtoli, ſe habitos, pro CHRISTO, ſuppliciis dignos? Quæ omnia, & alia infinita in ſcripturis occurrentia ex credendo, ſperando, diligendo, deſiderium quoque obediendi, & complacendi connaturale eſſe indicant.

COLL.

Coll. XXX.

De connaturalitate fidei, &c. & complacendi deſiderii ad applicationẽ.

CVm fides, ſpes, charitas &c. (gratiæ concatenatæ) ſeparatas, & diſtinctas conſiderationes, diverſoſque eſſendi modos habere videantur, cum applicatio ex parte hominis, (applicat quidem ſpiritus, hominibus etiam ex gratia applicantibus) non ex alia ratione procedat, quam

quam ex amplexu amoris & desiderii, quid ni ex obediendi, & complacendi desiderio applicationem quoque effluere existimemus.

Coll. XXXI.

De connaturalitate fidei &c. & applicationis ad sanctificationem.

CVm fides, spes, charitas tametsi sint dona Spiritus Sancti, ab imbecillitate nostra contagium tamen hauriant

riant, tantóque absint à perfectione, ut etiam aliquâ ex parte vitiosæ (si Deus examinare velit) reperiantur: minimè acceptæ divinæ justitiæ esse possunt, nisi defectus suppleantur, ex gratia, per meritorum Christi applicationem: Cum ex istâ applicatione, per renovationis modum, sanentur infirmitates, corda dilatentur, viresque restituantur, quid ni sanctificationem nostram, ex applicatione connaturaliter emanare dicamus.

COLL.

Coll. XXXII.

De connaturalitate fidei, &c. & sanctificationis ad justificationem.

CVM purificatio cordis, sanctificatio, observantia mandatorum, non nostrarum virium, in nobis licet imperfecta, accepta tamen Deo sit, ex justitia Christi, per quam sui ipsius sanguine ingressus sanctuarium, satisfactione suâ perfectâ indigentiam nostram complet: Quis intenta-

intentabit accuſationem contra electos Dei, Deus eſt qui juſtificat *Rom.* 8. *verſ.* 33. qui interpellat pro nobis *verſ.* 34. quid ni effluentiam connaturalem in iſtis etiam agnoſcamus.

COLL. XXXIII.

De connaturalitate fidei, &c. & juſtificationis ad ſalvationem.

DEI regnum iniqui non conſequentur, in illud immundum

non intrabit, ded in Christo abluti, sanctificati, sancti sine maculâ, irreprehensibiles, nuptiali veste induti, præ nive albescentes, cum justificati sint, Quid ni in regnum pro illis præparatum in Domini sui gaudium eos intrare congruum etiam sit?

Coll.

COLL. XXXIV.

Efficaces Dei misericordias non recte dici leves suasiones.

CVM homines ex Adami lapsu miseriarum suarum ignari, in miserrimas angustias, usque ad extremum redacti sint, propriis viribus destituti, quo se extricent non habeant: Cum agnoscendum sit Deum propter Christum dare hominibus adeò miseris cognitionem,

ſenſum, doloremq; calamitatum ſuarum, in periculoſiſſimis itineribus, errantibus deviis perditis ad requiem ſuam viam monſtrare, tramitem deſignare, impedimenta removere, in via conſolari, fame, ſiti afflictis gratiâ ſuâ ſuccurrere, offerre panem vitæ, cibum non periturum, aquas, de quibus qui biberit, non unquã ſitiat: Quid ni libere, ex libero ſcilicet arbitrio, homines miſerrimi, ex gratia potentèr adjuti progrediantur? quid

ni

ni ex viaticis a Deo oblatis edant, bibant: Nunquid enim homines, natura brutis inanimalibus inferiores, in humanitatem impegerunt, in converſione ſua trunci ſtipites facti? Quod homines ſumus ex Deo eſſe agnoſcimus, nonne etiam ſupra humanitatem, aliquid habent in hiſce homines quod danti acceptum ferant? Non ex hiſce verè diſcernere dicatur Deus? Non efficaciter dat vitam, qui poſſe dat, & efficacia ad vitam media?

Quænam ſuperbiendi materies, pluſquam puerilis, & inepta foret gloriatio: Adeonè fruſtra ſunt, blanditiæ, in ſcripturis infinitæ ferè promiſſiones, invitationes, exhortationes, &c? Abſit, cum nullus ſuavior agendi modus, Deo magis glorioſus, majeſtati, ſapientiæ, juſtitiæ, & miſericordiæ divinæ conſentaneus magis excogitari videtur poſſe, quam in creaturam, ad divinitatis participationem, natam divina, & ſupernaturali, iſtiuſmo-

uſmodi, viâ agere. Horrendum eſſe exiſtimamus, ex ſuâ naturâ maximè efficaces, & tranſcendentes Dei miſericordias irridendo, levium ſuaſionum nomine appellari.

COLL. XXXV.

Quænam ſit ſalutis noſtræ certitudo.

QVI in præſenti de futura beatitudine, abſque ulla hæſitatione, ſe certos eſſe aſſerunt, quid, uſque ad

extremum vitæ, ſalutem ſuam operentur? Quid diligentiam, uſque ad finem, continuent, ut, in fine, firmam ſibi faciant electionẽ? Quid de perſeverantiâ, ad finem, ſibi moleſti ſint? Quid vigilent? Quid jejunent? ſe miſeros, forſan, fuiſſe, non eſſe agnoſcant, cantent alleluja, gratias agant, de importunis precibus minimè ſolliciti ſint: Quid Deus indat timorem cordibus eorum, quo cuſtodiantur ne diſcedant? Quid timo-

timorem, ſemen illud in bonis remanens, qui nè peccent contineat, 1 *Ioh.* 3. Quid ità ſolliciti ſint, ut ab opéribus diaboli, peccatis ſcilicet ſe abſtineant? quodcunque criminis admiſerint, præteritum, & futurum condonatum eſſe, jamdudum, certi ſunt: Nec illis cor fraudulentum ſuper omnia, plus ſatis cognoſcunt. Nonnè mortalia gerunt corpora in quibus noluit Apoſtolus, ut peccatum regnet? De regnante ſcilicet peccato mini-

mè cavendum forsan putent: Cum non sint præpotentes inimici, à quibus timeatur. Inutilis labor videtur stultus, nec est ut ad futurum certamen accincti, & præparati sint, qui victoriam, ut volunt, adeo plenam, & perfectam, non quidem omninò extorquendam possident: arma militiæ suæ deponant. Non sic se habet cum Dei filiis, tota vita eorum militia est super terram; non adversus carnem, & sanguinem, sed adversus

ſus principatus, poteſtates, Principes tenebrarum hujus ſeculi, & ſpiritus aeris hujus, *Epheſ. 6.* Ab his hoſtibus magnos, & fortes athletas quondam profligatos audierunt, optimos Dei ſervos trepidantes viderunt: Suas ut agnoſcant infirmitates, ad reſtaurationem virium, iterata, Dei ut invocent auxilia, armaturam ut à Deo petant, multa admonent exempla: Habent, ex Dei gratia, multotiès & poſſident fiduciam, ſpem ſcilicet fir-

firmam, plus quam viriem, ex fide ſua in Chriſto elicitam, in ſinu ſuo repoſitam, quâ non confunduntur, at exhæredationem, & verberationem, ut filii, & fideles ſervi, non ex deſperatione timeant: Bonum ambiunt certamen, curſum ut peragant, fidem ut ad finem ſervent, in fine, tempore retributionis appropinquante, coronam juſtitiæ ut aſſequantur, illis in voto, in deſiderio eſt. Vita eorum ſpiritualis, & ſalus, ex Dei gratia, ſatis certa,

certa, cum Deo recondita, quamvis ipsis ignota. Ex gratiâ & infinitâ, sui, misericordia, det Deus hanc spem, & suavissimam hujus spei plerophoriam, ampliorem non expectamus.

Coll. XXXVI.

De conscientia quid sit &c.

Conscientia est, quæ ex scientia Divini judicij, sensum ejusdē sibi habet quasi adjunctum

ctum & connexum teſtem, cogitationibus accuſantibus, ſive etiam excuſantibus, 2 ad *Rom:* Non minùs in credendis, quam agendis verſatur, in illis, fidei, in iſtis, operum, exhibetur teſtimonium. Quænam, in utriſque, ſcientia Conſcientias Chriſtianorum tranquillet, & terminet erit inquiſitio de novo addita, & quæ prioribus noſtris collectionibus finem, ut opinor, non prorſus inconcinnum imponat.

Col. XXXVII.

Quænam ſit ſcientia quæ Chriſtianorum conſcientias tranquillet & terminet.

SCientiam ſive fidem omnino implicitã, (cui, in fundamentalibus, nihil religionis formale ſuperveniat) erudiendæ, & ſtabiliendæ conſcientiæ ſufficere, vix forſan ſunt qui affirmant: Omnino explicitam, omnibus ſcilicet numeris perfectam, ex neceſſitate

ceſſitate requiri, aut, in hac vitâ, promiſſam, vel poſſibilem eſſe: Enthuſiaſtæ ſunt qui ſomniant, ſobrii vix unquã cogitarunt Chriſtiani. Hos ego hac ex parte non parum fælices, exiſtimo, qui norint, non tantum divinis legibus, ſed & humanis, juſtis omnibus, propter conſcientiam, obediendum eſſe; Illamq; eſſe legum, quidem omnium, conditionem ut jure & ἐπιεικία quadam regantur, ut ſint qui exponant, imperent, & qui obtemperent,

rent, pareant: Legum ſpiritualia concernentium non tantũ promulgationem, ſed & curam Præpoſitis, non omnibus promiſcuè, Eccleſiæ membris a CHRISTO commiſſam eſſe: (videant etenim hæreſes, ſectas, diviſiones, in quas adeò miſerè diſcerpitur Chriſtianus orbis, non aliundè procedere, quam ex inordinato, & tumultuario quodam, in judicando deſiderio, ex quo fit, ut, dum communem multitudinis ineptitudinẽ, &

& ſuam agnoſcunt, de ſeipſis diſcant non præſumere.) Debitam oportet ut de Apoſtolorum Symbolo, de Deo, Chriſto, cæteriſque fidei articulis cognitionem, per fidem certam, explicitam, & ſuo modo diſtinctam habeant, propriumq; ut recognoſcant peccatum, à Deo ſeparationē eſſe, non aliter, quam per remiſſionem ſuam, propter Chriſtum, reſarciendam, nec aliam ad veniam obtinendā patere viam exiſtiment quam ad Deum (qui verè pænitenti-

nitentibus veniam non denegat) confugiendo, & peccatũ deteſtando: Sed & ſunt, in religione, myſteria, profunditates, abyſſi, in quibus aliquantulum ſapere magnum quidem eſt; In quibus non eſt, ut, ad determinatam conſcientiæ illuſtrationem, revelationes, ſubitos ſpiritus divini afflatus, phyſicos & inſtantaneos motus expectent Chriſtiani, vel ut curioſi ſint, quibus modis, in ſe, operetur Deus, ſenſum iſtum arcanum, per quem divinam

nam operationem perſentiſcunt, ſuo modo intelligibilem, ſed moralem, eſſe experti. Quam utiliter ambiant, nec ſcrutentur nimis, credere potiùs, quàm dubitare, aut diſputare parati, a ſuperioribus quærant, traditamque amplectantur ſcientiam, fideique abſtruſiora in ſinu paſtorum deponant: Quid poſſumus, qualeſque ſimus novit Deus, ultraque ea, quæ, gratia adiuti poſſumus, nec requirit quidem; Pater miſericordiarum eſt,

Quem

Quem dum oramus patrem, Ecclesiam non despiciamus matrem, intra cujus gremium firmamentum veritatis est, pax firma, & salubris, pax scilicet bonæ conscientiæ, quæ iuge est convivium, omnesque rerum temporalium voluptates, longè, excellit & exuperat.

FINIS.

Approbatio.

Auguſti 26. 1634.

PErlegi *hunc librum, cui Titulus* (Collectiones Theologicarum quarundam concluſionum ex diverſis Authorum ſententiis perquam breves ſparſim excerptæ) *qui quidem liber continet folia* 100 *aut circiter: In quibus nihil reperio ſanæ Doctrinæ, aut bonis moribus contrarium, quominùs cum utilitate publica imprimantur, ità tamen ut, ſi non intra tres Menſes typis mandentur, hæc licentia ſit omninò irrita.*

Gulielmus Haywood.